



VICTORIAM CORONAM

Seneſtutis & Virtutis

ILLUSTRISSIMO ET CELSIS-
simo Principi ac Domino, Dn.

AUGUSTO

PRINCIPI ANHALTINO, CO-
MITI ASCANIÆ, DOMINO SER-
vestæ & Bernburgi &c.

Inclutæ & antiquissimæ DOMUS
Directori


peculiari Numinis favore

annum qui ANDRODAS dicitur minacissi-
mum feliciter evadenti

intimat

Herman Rosenfrank /

Celsitudini ejus à Secretis



SERVESTÆ,

Typis ANDRÆ BEZELI,



SERMO PANEGTRICUS. T. IIII

Augusto nomine Zebaoth, temporum
 arbitro, vitæ Principi, bonorum assertori, feli-
 citatis, & victoriæ datori O. M. gloriam tribu-
 uri, Inclyta Domus tua, Celsissime Princeps,
 tuorumque cognatorum ac subditorum eximia pompa, hoc
 dudum expectato die amica mente, ac submisso poplite, ad
 atam honoris, factæ senectæ tuæ laudem celebraturi, virtu-
 tisque præmium daturi æcedunt. Hic autem non trucu-
 lenti Martis temeritas vicit, sed tranquilli animi tui severi-
 tas; non Ethnicæ fortitudinis stoliditas, sed Christianæ pa-
 tientię soliditas; non humanæ opinionis vanitas, sed divi-
 næ rationis veritas: Vicit in Deo facta, Auguste, virtus tua.
 A conceptu Christianus sanguis, promissionis Symbolo Sa-
 tanæ actiones in fringendo vicisti, & enixus lucis coronam
 indeptus es: Lactens fidei candidatus, cognitione, & laude
 Dei malignum istum propulstisti; Simplici, hilariorique
 ocellorum coniectu lactantis ægritudinem, parentisque
 ærumnas superasti; & sic ab incunabilis mille periculis ex-
 positus angelorum præsidio vicisti: bonis verò literis im-
 butus, dum pietas, & diligentia, ex osculandam tuam aure-
 am & veluti celitus prolapsam indolem sui cultricem para-
 verunt, ornarunt, & auxerunt, *Humanissimus* hoc est animi
 integritate, cogitationibus præclaris, morum suavitate, fa-
 ctis illustribus, officiis & studiis, quæ naturâ debemus socie-
 tati mortalium; & *Sapiens*, hoc est prudens & beneficus;
 Itemque ex animo inscitiam & cupiditatem; ex vita quic-
 quid est vitiorum, indeque pullulantia incommoda præcla-
 re discernere, & radicitus evellere studens, *Potens*, & *Illu-
 strissimus* evasisti: Nec te tantum orientem Patri limites ca-
 piebant; sed natali solo relicto, salutari consilio præmoni-
 tus,

tus & præmunitus, cultissima Europæ loca perlustrando, situs, amœnitates, munimenta, & monimenta, præsertim vero rerumpubl. formas, vivendi ritum, morum & linguarum elegantias, non absque gravi sumptu, accurataque indagatione, & observatione addiscendo præfixum scopum attigisti; nec citra periculum; bono tamen Deo nisus, Ulyssisque cerâ & Jasonis pharmaco instructus, Circes pocula, strabarum Thaidum larvata blandimenta, suavidulas, & pressulas basiationes, & id genus lemorum virus, & lubricitatem aspurnando, secundum coraliorum naturam, qui extra patriam suam indurescunt, tanquam Nicetas vicisti: Narcissos, comatulos, ciniffiones, male feriatos, stipatores, & qui sibi non satis constant, assentatores cum nohis gemmis suis, averfando (quod virum bonum decet) gravissimi titulum justè promeruisti: quibus omnibus describendis hujus chartæ angustia non sufficeret. Domum inde feliciter redeuntem, te tui læti exceperunt, tuaque utilissimæ peregrinationis præclara specimina viderunt, vidit Patria Imperium Rom: sibi que de tali ornamento gratulata est. Multi te desiderarunt, sed Silesiæ Ducibus Lygio-Bregensibus tua potissimum assistentiâ frui contigit: Qui tuum eruditionis Heliconem, morumque charites lepidissimas, cum respectu amplectentes, tutorem te salutarunt, ac variam ex te Principi scitu necessariorum peritiam, sale ingenii conditum sermonem, candoremque simul & modestiam spirantem; faventibus auribus, plenissimaque observantia hauserunt, sub vexillo tuo virtuti nomen dederunt, teque, ut passim omnes, bonum virum, principem, & Patrem prædicarunt.

Cum autem diutius ibidem te commorari publica domi non permitterent, ecce, vix ad clavum regiminis aliquandiu manu admota quod & nauclerorum excellentissimi præ-

fertim in alto experiri coguntur multa aduersitatum mon-
stra tibi obviam facta sunt, nec dum barbararum gentium
fluctus, qui in Germaniam nostram impetum fecerunt vi-
dimus, sed æstus, & hyemes statis auctibus accedentes vidi-
mus. Cujusmodi infortunii & turbamenti tremulo ar-
dore ante viginti ferè annos præcursor Cometa, ut Ro-
mæ Ajus, Germaniæ aliàs indigenæ, & propriæ, sui que
simili, jam verò, nescio qua temeritate, procis exteris
& longinquis expositæ, præ nuntius fuit: nec fuisse solum
hoc horribile portentum solum; sed & monetæ adul-
terationem puto, ubi pecuniæ campores, & novi arti-
ficii, si Diis placet, inventores, veteres monetas novis,
probas improbis, argenteas cupreis permutando, rem
monetariam, oculis suis consulentes, planè pervertere labo-
rarunt, ita ut cusi denarioli, nummuli, & quadrantes, ceu ova
urina, aquæ innatarint & sic ut priscis Mars; ita nobis Cypria
venus, Delium natatorem egerit.

Hoc malum alia calamitas sussecuta est, immò & ani-
morum levitas; subsequuti sunt curvi & intorti mores, ser-
mones & sensus ambigui, ex antiqua sede, dextrâ, fides in di-
gitorum acinos, tanquam ad exitum properans; ex aperta
fronte in tectum sinum descendit, heu! quæ mutua manu-
um & tunicarum basatio! qui claudicantes incessus, sermo-
nes blæsi, quæ capillorum transformatio, & adoptio! quæ
vestium Synthesis, denticulatio, ut ita loquar, & fimbriatio!
quæ ex rarâ & clarâ carbaso, bysso, & syndone consutorum
collarium, & manicularum varietas! hic non attenditur
mundus muliebris per Esaiam Prophetam longo catalogo
taxatus, non Salomonis dictum Eccl. 19. de vestitu, risu, & in-
cessu, non illud Persii:

*Non pudet ad morem discincti vivere Nactæ. Et Accii
Discinctus vestis, discinctus animus, ne nega.*

Non

Non lex Appia de vestitu: sed cum argento in istud clima quod præ ceteris varietati, ne dicam levitati obnoxium est curritur, *à la mode*, quæ sub specie quærendæ perfectionis magno venit, emitur & induitur, unàque (ô sim falsus haruspex) insanabile olim cacoëthes in Patriam inducitur! Tu vero, longè princeps, in cujus neque corde ambiguitas, neque in ore peregrinitas, te hisce neutiquam parem gerendo vincis.

Martem sisto, non æquum, sed cœcum & iniquum, patre malogenio, satum, matreque vesana libidine, vel avaritia partum, sinistra suspitione & discordia nutritum, assuetudine fotum, & læsionis proclivitate ita commendatum, & promotum, ut sub belli & status prætextu VIS & JUS idem ducat, cujus immania, stupenda, foedaque dictu scelera, sacrilegia, plagia, rapinas, incendia, populationes, desolationes direptiones, abiegatus, pabulationes, segetum protervè demessarum, & protritarum miseriam narrare, annus non sufficeret, Cinis, Vicinæ nostræ quondam florentissimæ Magdeburg testetur, cujus excidium, si quis ab ullo civi quondam principe, vel matronâ superstite, & vix servata quæsierit, relatio animum ejus sauciabit, singultus & lachrymas excitabit: Non aræ & foco, non aulæ & caulæ, nulli generi, sexui aut ætati parcitum; prægnantes, recens natos, lallantes, & mammantes, delicatos puellios multasq; puellas cum provectoribus & senioribus, omnes citra discrimen, idem furor, infestavit.

Mors tua sparta tua, placida mediocritate contente Princeps, (non es enim inter eos, qui, dum è suis fortunis suam & suorum felicitatem metiuntur, se temerè angunt animi, divinæque benedictioni diffidentes, sibi suisq; nihil proficiunt) locus planè campestris, immunitus, & hosti palàm

expositus, tumorum tympanorum raucum mugitum, tubarum
terrificum taratantara, armorum fragorem, barbararum co-
hortium fremitum plenis auribus quam sapissime hausit, di-
strictos undiq; gladios machinasque minitantes, nictantibus
oculis vidit, sed tamen fere eadem perstitit; Hic rumor
verè secundus adjacentes, & longinquiores urbes, villas, &
pagos, quos omni flagitiorum genere polutorum, impiato-
rum, sanguinariarum hirudinum, laverniorum; imò incar-
notarum reor Uragi aut ringentis summani mancipiorum
violentia jamdum invaserat, hùc flebiliter defugere jussit;
quos & hospitalitas tua libenter recepit, ut ex tutiori, quod
confidebant, specula aliorum calamitates illæsi intuerentur.
Tu verò bona causa fretus animum minimè despondebas;
sed in angustiis pientissimæ uxori, liberisque devotissimis
tuis humi prostratis, pronaque facie Deum vindicem oranti-
bus aderas: Et cum forsan hostilis turma appropinquaret par-
vo præsidio, tuorumque fidelium ministrorum opera eam
repellebas; qui autem leni & pacifico accedebant ani-
mo humanitas tua pro sua quemq; dignitate liberaliter tra-
ctabat, & è penuario exhilaratos dimittebat. Quæ, bone
Deus, tuæ benignitatis virtus! quæ afflictorum sincera & se-
veræ precis penetratio, & efficacitas! quæ excubitorum ce-
lestium mira adfistentia, & propugnaculum! Domum, quæ
neminem intutum voluit, tutam vidimus! nescii non erant
dirum & effrene illud genus hominum, multos heic latitare,
qui rapaces manus suas evaserant, adeoque rebus quas
exportaverant anxie inhiabant, iccirco etiam huc animum
intendebant, tentabantque non, quæ militem decem ami-
cum, sed hostem nefarium, nam quibus in hostili pugna au-
dientia fortassis non erat, audacia erat imbelles, neutriq;e
parti accedentes, incessere; sed quis quæso, vos à limine
quærefecit; quis ausus vestros devios cohibuit, impetum
coërcuit? Quis insultantium tibias vestras in muricatum &
tumul.

tumultuatum regressum & discessum torfit? Cur clarorum
sæpè virorum frontem apertam non sustinere valetis? qui ad
eorum præsentiam ne my quidem facere, aut vix verba ter-
tiare potestis, irraucescentis nauci & explodendi Thrafo-
nes! Nonne eorum lumen vestros perstringit oculos, aut,
quod maximè credo numen in iis refulgens omnipotentis,
& terribilis Dei? Scenæ nonnunquam, ad majus de-
clinandum malum serviendum erat, hinc erogare victum &
nummos, equos & operas ad comæatum promovendum
suppeditare, legativa, & munera expendere; necessitas fla-
gitabat, sed ô Mars, dum Nerione placaris, virtuti & famæ
benefactoris liberum spatium das; dum ad incitas reda-
ctos laxas, ad genua procumbentes erigis, bene tecum age-
tur: sin minus cæca insolentia & temeritas tua te in foveam
præcipitabit, Cristæ prunæ erunt capiti tuo, collobia mure-
nulis & denticulis aureis ex oppressorum colo tractis, & ve-
stes conchyliatæ eorundum sudore & lachrymis tinctæ, sti-
pulæ erunt stupa, & palea!

Ex jam dicta plaga alia lues Fames suboritur, nimia enim
siccitas, ac murium semina corrumpentium, multitudo,
gurgulionumq; bipedum eorum quod superest devoratio &
protritio omnium rerum difficultate terram laborare facit;
Nec susque habenda est ira divina quæ in lanuginosis crucis,
apparuit, quas hoc elapso vere de alterum quercuum cacu-
mine, ad alias ex adverso stantes, confertis agminibus ac si
crassus cortex pellitus esset leni ductu transmeantes vidi-
mus, quæ cum bruchorum catervis arborum oculos, & tene-
ras frondes penè corroserunt & depaverunt: Hinc homi-
nes frugi vitæ, samma rei frumentariæ inopia pressos con-
speximus nonnullos ex nobili genere mendicitatem perpe-
tientes, ædituos agere, aliaque illis indigna, insuetis mani-
bus tractare; multi hominum, quod stupendum! ferarum
cada-

cadaveribus extinctarum vesci, rabido rictu laniare canes, exanimem exugere sanguinem & saniem, immò homines in sua, hominum viscera condere coacti sunt, vocem cogito quæ sub Honorio imperatore Romæ in Circo audita est: pone pretium humanæ carni! quod Deus averruncet! hostem hanc magna pars glande pepulerunt, urticis, boletis, & radicibus. Tu verò caritati ita consulisti ut cuncti tuorum conservati, juxta Deum, paternæ tuæ curæ & provisioni gratias agere necessum habeant.

Ast nondum flecteris, Mars improbe, afflictorum acerbis querimoniis, nondumne satur es sanguinis quem vi elicuisti, an exitiosâ & odiosa *contributione*, dudum nudatos, fame maceratos, & inopiâ laborantes, penitus emedullare tibi animus? an dolorem afflictorum millies recrudescere, omnia evastare & evilesce facies? Si ita perrexeris, nihil omninò aberit quin pater, ubi pro magno peccato parum supplicii satis esse duxerit, te virgam in ignem conjiciat.

Decoret itaque alterum *Sagum*, te, *toga*: à sanguinolento (vel si honestatis velamen desuper inducam, armato Consilio) gladios distringant, eruentæ bellonæ nati, hastas vibrent, cudonibus, machæris, & acilidibus (sibi quisq; noxius) nocivis incedant, phaleratis caballis superbientibus regy-rando obequitent, lubricam licentiam suam mundo commendent, torvos congressus vulnera, & grandia effecta prædicent stolidi jactatores; Tu verò sedatæ Minervæ Fili, bono genio, hoc est plano & sano Consilio gladium stringis, sed non nisi in fontes ultorem, & insontium defensorem, idque, quod boni viri est, re probe prius perpensâ, deinde æquitate hoc est justitiâ, misericordiâ temperatâ facis: Ducē agis, non alterius cruore squalentem, sed tuo ipsius sudore, pro requie, madentem. Timiditas hoc dicenda non est, nisi sit Metelli, & Antonii pii ita dicti, quod animum à belli ferocitate habebat,

bebat, alienum unumque servare civem malebat quàm mille hostes trucidare. Castrorum munimentum Pietas, phalanges proceres, copiæ prudentia, alæ preces & dexteritas, panoplia, & augusta supellex tua, reliquæ virrutes, hæc tua legio fulminatrix est; hostis sunt vitia, ejusdemque calones & caculæ, nequitia: Ensis & clypeus excutiuntur; hæc armatura non lassatur, nec detrahi potest: armati subito & plerique tragicè cadunt quod vix nobis exorta sydera in opinâ morte sua, ac, si jam agonizantes Heclam sentiant, horribili beato restantur: Leonum virtus effulgeat, Julii Cæsaris scilicet, Papyrii curoris, Tulli Hostilii, Pyrrhi, Hannibalis, Masinissæ, Numæ, Pontici, & Mithridatis; pulciori tamen nostri herois virtuti longè cedet: Augustum justo titulo appellant Senatus octavium suum ob successum in rebus gerendis; nos fortunatiori augurio in tanta malorum iliade AUGUSTUM, nostrum Principem, in prospereis & adversis Marti seu gradivo, seu Quirino semper eundem vocamus: utpote cujus felicitas Camilli, Titi, Trajani, Syllæ, & Cyri felicitatem longè superat. Gustavum Sueonem, cum aliis Heroibus inter indigetes referant qui velint, ipsi tamen humani nihil à se alienum esse morte sua gloriosissima docuerunt, hodieque docent. Adèd in hoc volubili globo, formicarum tumulo, puncto, quod ferro & igni dividitur, ferè omnia incertitudine fluctuant, omnia vanitas, stultitia, & inaniæ, si profundè fodiam: Victoriæ, bellique eventus anceps est, etiam justissimi: quippe non omnibus, quod Alexandro τὸ οὐ τὴν ὄνειδος somnianti, & Tyrum occupanti succedit; sed potius, quod Heraclio Constanti de Thessalonia, Ἰὴς ἀλλὰ οὐκ ἔστιν, evenit.

Sub Marte igitur ære mereant, qui velint; tranquillam vitam vivere, quod sapientiæ est, desideriorum viris, rerumque optimarum indagatoribus multò antiquius, satius, &

b

bea

beatius: Melius enim est, Salomon inquit, submissum esse spiritu cum mansuetis, quam patiri spoliū cum superbis: amor melior odio est, tempestate sudum: Multa, quidem, vis trophæa crexit; plura sed patientia: dives quietis, dives & gratiæ est: Præstat securum quàm animosum esse: In sapientia Gubernator torquet, non valentia: Cothurnus Neronis: (Extinguere hostem maxima est virtus ducis:) senex ex sapientiæ oraculo prodeunti aptus non est; qui servare Cives majorem duxit patriæ patris: Namq; gloriosum existimari debet, quod tutissimum autem est, non pugnare, aut magna acquirere; sed vires, quæ dum extenduntur, debilitantur, & franguntur, retinere, & moderata regere: fœdum habebant Ethnici Canitiem galeâ premere: turpe, inquit, senex miles: Boni insuper pastoris est non solum gregem bene valentem regere & in salubria pascua deducere; sed & affectum curare: affectus ovis Pastoris sunt: Vulnera patriæ patris; membrorum capitis, quæ fomento & curatione indigent.

In hoc igitur, ô Princeps noster, omni studio incumbis, qui non solum bene regis rempublicam salvam, sed & optimè mederis afflicta: subditis & Pastor & Medicus es, Philosophus regere dignus: idque non absque autoritate, laude, & encomio: Christus enim generis humani Pastor & Medicus erat; Angelis quoque, & discipulis suis medendi potestatem dedit; Quin etiam hanc artem exercuerunt: Hermes Aegyptiorum rex, Sabor, & Giges Medorum reges, Sabid Arabum, Mithridates Persarum, Mesue damasci nepos: Exercent adhuc multi reges Megistanes, & populi: Et Marcus Aurelius Philosophicum maluit quàm regium cognomen. Horum æmulatione, ut animi fundum lectissimis regiarum virtutum seminibus dudum consecisti, ita sedulò adhuc legis, scribis, specularis ut prudentiâ & Medici.

dicinâ bene imperandi & vivendi artibus magismagisque
augearis: inde fit ut eos, qui te de Dei Magnalibus ac natu-
ræ minutissimis abstrusissimisq; utiliter & dilucidè differen-
tem audiunt, mirari subeat, teq; tuosque felices prædicent,
Nil tibi cum Colchidos vellere, sed verè doctos Philosophos
& medicos ordinaria via incedentes, intime amplectaris,
pretiosissima, & accuratè confecta medicamenta, ægrotor-
um, egenorumq; cuilibet ea petentium, gratis & prom-
tissime elargiris. In hoc opus sanè præclarum facis, omneq;
meritò punctum fers, qui dum alii proximi fundunt sangui-
nem, syrupum propinas; dum vulnus infligunt, rosam instil-
las, & faras.

O utinam augustissime Princeps, cum ingravescente ætate
mala publica indies non gravescerent, ô utinam curæ canos
facientes seniumq; quidem tædiosum accelerarentes, paci-
fico tandem statu sublevarentur; Ast in hac ultimâ & in-
gravescente mundi senatâ proh! omnia in pejus vergere vi-
demus, graviora sentimus, meliora non perspiciamus, sed spe-
ramus; nec dum dimitti videmus ingentem curarum mo-
lem humeris tuis, quibus & Sera Posteritas infidet! facile
decumberes nî ad conservandam valetudinem vitam vive-
res temperatissimum; oneri & labori succumberes nisi No-
bilissimi spectatæ virtutis, & integritatis viri consilio pol-
lentes, intimi tui & familiares, ingenii facultate & dexte-
ritatis ope te sublevatum irent, communemque causam
confulcirent.

In tempea interdum loca secedens, summa fluminis
præterlabentis amænitate cum Augusto Imperat: te reficis:
Hic salutaria meditando & veluti tecum solus in divinissimi
pectoris Sacrario Sacra tractando animum oblectas: subse-
quitur generosissima Sibylla uxor tua laudatissima, quæ
suavi colloquio & alloquio tibi lenire & succollare tædium

senectutis satagit, succedunt deniq; incluta proles, conjugii
blanda præmia, jucundissimoque aspectu menti summum
dant gaudiunt.

Hujus loci genius maximè amabilis, ideoq; non abs re me
facturum puto si paucis eum descripsero:

Est *Plöskaw*. Situs amœnus: vicum Sala utrinq; salictis con-
suis leniter alluit; is quotannis egressu suo limoso agros &
prata lætificat, ubi exinde circa pascha ad Julium usque a-
sparagus in optima acetaria legitur; nemora, quorum pla-
nitiam minorem & majorem vallem nominant, Pomona
inhabitat: Unde carpophylaces multa poma, præser-
tim illa nobilia, quæ *Bergstörffer* vocant & alia melime-
la, variisque generis pyra mustea vendenda colligunt: Hic
Philomela cantat, volucres garrunt, milviq; lippientes ni-
dulantur: illic horti, ambulacris, arcolis florulentis, scænis
opacis affabrè ornati virent, prata flosculis variegata rident,
boves, foydas, & vitulos, pascunt, vaccarum ubera turgere fa-
ciunt, iisdemq; omnibus sceta & sicilita hybernum pabu-
lum præbent. Hic balantes oves & minores greges in agros
graminosos coguntur, opilionesq; ad labia, tibias referentes,
commeant: illic puelli & puellæ saltantes, cernuntur: Hic
seritur, inoccatur, metitur. Illic denuò ad alaude cantum
terra proscinditur, iteratur, tertiatur &c. Arx editiore loco
sita est, quam olim Domini in *Plöskaw* inhabitarunt, ex qui-
bus circa annum 1117. Burggravii Magdeburgenses fuerunt,
Helffrid / & *Herman* fratres, sed ambo eodè anno hac mortali
vita exempti. An. verò 1130. *Dieterich von Plöskaw* qui genuit
1. *Conradum* ultimum Burggravium, qui Romam religionis
ergò iter facens sagitta trajecto cecidit 2. *Heinricum* qui im-
prolis discessit 3. filiam *Eringard* / quàm nuptui collocavit
Marchioni *Udoni*, eiq; dotis loco dedit dominatū *Plöskaw*:
Extinctâ autem Marchionis familiâ, *Albertus Ursus*, & *Mar-*
chio.

chionatum acquisivit, & Plotzkoviam; quo facto, Henricus
Guelfus Anhaltinis infensus, hanc arcem anno 1139. obsedit,
eaq; potitus est; ad Bernhardum tamen Alberti Ursi filium
1171. rediit: verum Imperator Fridericus eam sibi vendicans
bellum concitabat, quo tamen composito, Anhaltini reti-
nuerunt. Bernardus celsam & vastam turrim 1566. altius
evexit, novumq; ædificium extruxit, ubi in superiori Coch-
lidii limine lapidi incisum hoc monumentum legitur:

Ascanis stabiles sedes ab origine prima

Hæc, regnumq; simul terra dedit Ducibus

Hercyniæ, qua se juga celsa ad sydera tollunt

Fœcundis subtus vallibus irriguis.

Stirps abavis, atavisq; potens, & clara triumphis,

Saxonicum rexit, Marchiatumq; solum.

Marchiacis Henetos Albertus finibus urfus

Multa cæde feros expulit, & sorabos

Constituitq; novos, deserta sede, colonos,

Quos è Pleumosis duxit & è Batavis.

Bernhardi virtus justo bello ultra superbum

Saxonia, hic meruit nomen habere Ducis.

Te celebrat, Princeps, Ecclesia tota Georgi,

Scriptis & meritis condecorata tuis.

Hos ortus recolens alter Bernardus avitæ,

Dives virtutis, sat quoq; dives opum,

Antiquam magnis reparavit sumtibus adem

Et proavis ponens, & monumenta, sibi.

Ascaniam, pie Christe, domum rege, protege, serva,

Regnet in hoc særa ut lumine Posteritas.

Tuâ verò, AUGUSTE Princeps, munificentia ab altero latere
veteri ruderi ministeri Italici Architecti Henrici Zuchalli
novum opus astruere cæperat, cui & colophonem dudum
addidisset, ni temporis iniquitas inhibuisset quæ tamen cot-

tidie hanc illustrissimam sedem ornatiorem & cultiorem reddere conatur. Sed hæc hæcenus,

Cinnaticum hebdomaticum nonum, qui senibus plerumque fax feralis & suspectus est quod occasu suo multi Magni viri, capita & Lumina; inter alios Orpheus, Anaxagoras, Aristoteles, Demosthenes, Numa, Cicero, Maria mater virgo, Trojanus, Hadrianus, Claudius, Darius, Ludov. Bavarus, Mauritius Impp, Machomet, Scanderbec, Munsterus, Sylvius, Cominæus, S. Bernhardus, D. Lutherus, & Melanchthon, qui tamen ultra 63. annos 63. dies explevit, testantur: die Margaritæ 13. Julii 1638. feliciter exegisti, Pro tanta divina benignitate, Omnipotenti merito gratias agimus maximas: Tuumque erit AUGUSTE Princeps, cum AUGUSTO Imp. scribere: Latere mecum, fili, transgressus enim sum omnibus senibus periculosum annum sexagesimum tertium!

Hinc non modo supra nominatos Viros, sed & tres, nostri seculi, Romanorum Impp, longævitæ superasti, Per varios casus, per tot discrimina rerum eluctatus heros Christiane, vicisti: Vicisti, virtutum Adamas, & laureâ dignus es: Vicisti, non ut victor audires, sed libertatis assertor tuorumque conservator: Talem omninò te prædicat orba nostra Germania; præconium tibi Seniori, & Capiti suo tribuit inclyta Familia, admurmurant Proceres; Subditi te Patrem, Pastorem, & Medicum collaudant: Immò & hinc docti Viri, civesque universi, tibi votiva acclamatione & precibus unanimiter congratulantur: Hic enim est ille dies augustus, candidiore notandus lapillo, qui te nobis, ceu postliminio reddidit; hic nova spes; hæc feriæ sunt natalitiæ religionis contingendæ; Canis itaque tuis imponatur Corona, Arâ spargatur Ruta, flores, & ocimum, solibus frondes opponatur, ut epulum & solennia lautè & hilariter celebrentur!

Salve

Salve nobis *fidus sanguis Anhaltinus*, salve imperii decus,
salve Patriæ pater, qui pietate adversus deum & homines
causam communem feliciter agis. Gratulamur tibi In-
clyte, Princeps novum annum, qui te decurrentium Victo-
rem exhibet: Optamus tibi, ominamurq; longiorem vitam;
non in longius quassato statu, sed pacato, noviterque ere-
cto, & sanato. Abeat, quod faxit misericordissimus pa-
ter! lachrymabile bellum intestinum, lernæum, & beluinū;
abeat, & reducatur in atrium, cujus desiderio tot annis ob-
languimus *Pax & libertas aurea!* Pax, hoc est multorum in-
ter se mutuò amantium amicitia, cujus nomine nihil audi-
tu suavius, essentiâ nihil nobilius, fructu nihil dulcius: Pax,
Dei filia, mater concordiz, parens, alrix, ampliatrix, & tu-
catrix rerum bonarum omnium: In diebus AUGUSTI Imp.
(quo tempore & *Princeps Pacis* natus est) valvæ Jani templi
patulæ erant, & omnes pace publica late fruebantur, sic &
hoc anno paci portæ aperiantur. Sat voluptatum hostibus
exhibitum, sat sanguinis effusum, sat dolorum utrinque illa-
tum! Ad pacem deosculandam præpete pede accuramus:
malo enim, si mora additur, bis malum; bellum enim diutius
durat, exitium est, & ulcus in gangrænam foedum abit: Di-
vulsi, & diducti, odioque accensi animi, coalescite! Cruen-
tas tandem lites dirimendo juri suo, quod quilibet se habere
putat, ab omni parte cedite: Amarum belli mare lenitatis,
& submissionis oleo tranquillum reddite: sic unda cederet o-
leæ Palladis arbori, Mare Martis: bellorum enim egregii fi-
nes, quoties ignoscendo transigitur. Et, qui convenit mitræ
& galeæ? quid pedo cum hastâ? quid Christus cum Belial vel
Marte? quid tibi cum cruce, scelerate miles, anne insigne ge-
stas ad fratris exitium, quem cruce Servator servatum vult.
Imagines Dei sunt Principes terræ, Justitiæ, & æquitatis sa-
serdotes, beati ergò si sunt, ut nomen cluet; & si qua forte
justu gladii sumendi causa fuerit, rigori & crudelitati, æqui-
tatem

tatem & benignitatem anteferant; Iniqua enim pax bello etiam justissimo præferenda est. O, si sancta amnistia omnes offensæ utrinque tegerentur: omnesq; qui militiæ gloriam quærunt contra Christi ducis sui juratissimi juratum hostem, aliosve inquietos turbatores syncretismum pangerent. Interim verò aperti Teutones dextras renovarent, pacisq; vinculo se quàm arctissime constringerent, & jucunde invicem viverent.

Tu verò, Princeps pacifice, Maestæ animi, novæq; virtutis, de re publica bene mereri pergas; pergas Domui præclare præesse, pergas illustrare bonas actiones, majorumq; & tua vestigia Generosissimis Natis accuratè premenda monstres: Horum enim in pueritia animus, mores, studia & profectus, egregios, bonosq; nobis Principes promiserunt: Immò nunc sistunt: Quibus amorem, observantiam, & studia mea perpetua hisce simul declarare: Atq; ita, Clementissime Princeps, Evergetes maxime, qui me sibi variis nominibus obligatum reddidit, inter ovantiam coetum non postremus congratulari sed votum, munusq; meum qualecunq; offerre debui ac volui: Phyliræ sunt, vitam, & circa varios casus virtutum acromata continentes: quæ omnia ex animo grato, & fideli, tuiq; ac tuorum observantissimo profecta, Serenâ fronte excipere; jocos autem, & facetias è re nata admistas, juvenilibus ingeniis, talia legere aventibus, concedere; adeoque cuncta in meliorem partem interpretari digneris, eâ qua par est submissione rogo.

DEUS vitæ & actionum nostrarum Præses omnium, qui labantem ætatis, & curarum molem erigere & fulcire, ac viribus & virtute rejuvenescere facit, Te, Princeps Optime, Tuosque longùm sospitet, tueatur, & conservet.

Keim

Reim Gedicht.

I.

Der

Clytien

A Pelles, vnd Mabus, Scorel/Cyff/ Phidias
Dürer/ Broom/ Mireveld/ Urbin, Binct/Paufias,
Ihr die von oben her/ Poeten/ abzumahlen
Jest ewer Vaterland/ der Sonnen schöne Stralen/
Des Himmels Ehegemahl/ das Meer/ ein Venus Bild/
Adonen/ einen Ruch/ geschicht/ ein freches Bild.

(Dann ewer Hand vnd Geist/ darinnen so geübet/
Das ihnen alles eins/ ihr mahlt was euch geliebet.)

Der Wächter geht zur ruh Diana leget ab
Das schwarze Trawertuch/ vnd ihre Nebelkapp/
Es muß das blaue Heer/ die dort im Felde stehen
Allmählich ins Quartier gar stille fürder gehen
Die Hecate tritt ab/ der Dieb den Feind veracht/
Vulcanus in dem Horn/ wird jeso weg gebracht
Der Schlaff ist außgebrüt/ die Henne weg geflogen:
Das schrecken ist vorbei/ das manchen oft betrogen.

Kombt her vnd sehet an/ wie dort in grossem pracht
Aus ihrer Kammer gehe/ die alles munter macht/
Die Morgendthe/ seht/ wie ist ihr Kleid gesticket
Vnd wie der Augen liecht Crystallet/ vnd erquicket:
Da kombt die schöne Frau aus ihrem Dunctelblaw/
Das Bette gelb vnd weiß/ die Hülle braun/ vnd grau/
Laxiret über Gold/ vnd Silber/ vntermahlet/
Wie artig eingelegt/ seht wie Matira strahlet
Die Tethys wartet auff/ vnd ihr den Spiegel hält
Der König kompt dazu/ dem alles wolgefällt/

X

Es

Es schießen ihre Haar als scharffe Spiess/ vnd Pfeile
 Durch Bäume/ Berg/ vnd Thal/ da ziehen ihre Gäule/
 Der Wagen Wolken seynd/ die Räder seynd der Wind
 Der Furrier ist die Lust/ Venus geht vor geschwind/
 Die Fackel in der Hand/ darnach die Fürstin fährt/
 Titanus folget ihr/ vnd Gold mit Gold vermehret:
 Ihr Liecht den Schatten scheucht/ sie kehret ab die Welt
 Mit ihrem Flederwisch/ streicht über Berg vnd Feld/
 Der edlen Steine Frew spielt hoch/ der Diamant
 Gießt seine Wasser aus von ihrer Rosenhand.
 Wie leise tritt sie auff/ wie sachte kan sie schleichen/
 Es muß die bleiche Schaar für ihren spizen weichen:
 Sie weckt die Mutter auff mit süßer Lippen kuß:
 Der Studiosus lachts: Ein Schlingel nents verdruß.
 Das bundt gemahlte Volck beginnt jetzt zu schweken/
 Vnd dann die Sterblichen spaziren zum ergen/
 Lust Tochter Echo hüpfet jetzt an begrüntem Bach
 Vom Berg in dicken Walde/ in Auen/ Thal vnd flach.
 Aurora frischet das Gras/ sie neket vnd besprenget/
 Die Fackel der Natur sonst allzu sehre senget.
 Allda die Pales sitzt/ vnd spielt ein Morgenlied/
 Als nun der Augentrost die Hirten vorbechied/
 Dem Vater dancket er sie für seine Güte vnd Trewe
 Die vns das Leben giebt/ ist jeden Morgen newe/
 Das Vnthier nahet sich den Pferchen bey der Nacht/
 Im finstern übet auch der böse seine Macht:
 Drum billich sollen wir die lieben Hande küssen
 Dem der vns also schüzt/ er wil kein Schafflein missen
 Heint sah' ich in der Lust gar hoch erhoben
 Des Königs Haus (das weder list noch toben
 Des blinden Glück's trückt/ dann da ist verjaget
 Die Eitelkeit/ vnd was das Herze naget)

Auff den
 23. Psal.

Dis

Die schönen Feuer durch die Wolcken gehen:
Ich aber blieb auff meinem Augen stehen.

Was seh ich nun! vom Meere kömpt gefahren

Die Purpurfrämerin mit ihren Wahren!

Es folget ihr mit reichem Schatz beladen

Die ganze Silberflott/ ohn allen schaden:

Da werden seyn gar theur/ vnd edle sachen

Das Herz vnd Mund für süßen freuden lachen.

Sie Jubilirt mit Kleinod/ vnd mit Perlen

Hengt ihre Guldene stück an Ihn/ vnd erlen/

